



Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de temulentia & ebrietate, in qua inest Asotia, id est, uita immanis
& beluina: Dei pariter atq[ue] hominum, omnisq[ue] honestatis
contemprix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

cum in hoc misero urbis casu uidentur etiam studia literarum in quoddam discrimen uenisse, nos quod bonos ciues decet, magis in hæc studia incipite, quæ si conseruauerimus, non desperandum est, quin urbs ipsa rursus in pristinum statum, & dignitatem restitui possit. Dixi.

VITUPERATIO EBRIETATIS
scripta à Vito Vuinsenio.



M Arcus Cato, cum aliquando ad plebem Romanam impertunius de diuisione frumenti atq; alijs suis commodis tumultuantē, orationem, qua placaret eos, habere institisset, & perum equis auribus se à plerisq; audiri animaduerneret, in hunc modum initio dicendi fertur exclamasse: Quam difficile est, inquiens, ad uentrem uerba facere, qui aures non habet? Sentiebat enim surdo fabulam cantari, si quis, præsertim apud uesanam multitudinem, uentri leges dictaret.

Idē ego mihi quoq; accidere uererer, si hæc oratio, quam iussu præceptorum de sobrietate ac temperantia institui, mihi alicubi in cœtu uulgi, et
heluonum,

Venter caret
auribus.

heluonū, pro nulla re magis quā pro uentre sol-
 licitorum habenda esset: hi enim ad primā statim
 mentionem sobrietatis, me risu et clamoribus ex-
 ploderent, aut indignātes è medio perturbarent:
 Nō enim immitius seuit ira leana, abreptis catu
Heluonū esse
 tor.
 lis, quā furor istorum heluonum, quando uentri
 suo et gula finem modumq; statui audiunt. Qua
 re si in tali theatro perorandum esset, causam mi-
 hi hanc relinquendam, & capite obuoluto, qua
 possem exeundum putarem.

Cum uerò in hoc doctissimorum uirorū et ado-
 lescentum confesso, quibus cum honestissimis inge-
 nuarum artium studijs, cum Musis, hoc est, cū hu-
 manitate cōuertium est, quibus plus sanae mentis
 inesse, et mores ac sententiæ cum studijs congrue-
 re debent, cōtra ebrietatem, qua in hac quidem uī-
 ta nihil scēdus esse potest, dicendum sit, nihil du-
 bito, quin satis æquos et benignos auditores sine
 habiturus. Et me cōtumelia uos afficere iudicāre,
 si uelut dubitās de uestra in hac causa beneuolen-
 tia, longa praefatione eam mihi conciliandā puta-
 rem. Quapropter hęc quidem parte omiſsa, unum
 uos precabor, ut si minus quā pro atrocitate ac
 scēditate huius flagitij dicā, et propter imbecilli-
 tatem oneri succumbam, id pro uestra æquitate
 statati meæ, quā grauibus argumentis tractandis,
 adhuc

adhuc immaturam esse uidetis, et tenuitati ingenij condonetis. Quod me quidem à uobis nō difficile impetraturum, spondet summa humanitas uestra mihi non ignota.

Omissa igitur longiore prefatione, ad rem potius ipsam accedamus. De temulētia mihi et ebrietate in presentia oratio erit, adolescentes, de qua ego, sed alio quodā modo dicere possum, quod de uirtute Plato dixit, incredibiles eā amores in animis hominū, si oculis perspicere posset excitaturus. Ita ebrietatē, si eius turpitudine, quāta est, à nobis cerneretur, ac si non oculi nostri rem tam sceleratam consuetudine quadā, qua nihil in rebus malis nocentius est, propè iā ferre didicissent, haud dubie grauissimum odium sui apud omnes paritura. Nemo enim est, qui nō toto corpore atq; animo horresceret, ac uelut abominosum et infaustum quod monstrum paueret, quoties in ebrij alicuius hominis cōspectum incidisset, si non ueluti mortis quodam oculi nostri hebetati cecutirent, et mentes ad sensum tantæ sceditatis cōsuetudine ipsa occaluisse. Si enim cum quid in natura rerum à communi lege ac ordine deerratum uidemus, et horrerit atq; ea monstra abominari soleamus, utpote cum ex boue bicipites uitulos, ex sue canem editum, aut aliquid inusitatum è terra natum, in co-

Ebrietas mon-
strosa.

in cælo conspectum accepimus, non minus certè
abominabile & obscœnum portentum iudican-
dum est, cum homines excellentissimam illam na-
turam, quæ ad gloriam Dei, ad immortalitatem,
ad uirtutem atq; temperantiam condita est, illa
immani beluandi ac perpotandi consuetudine, in-
ta ex hominibus in feras bestias transformari ui-
demus, ut præter oris lineamenta in illis humani
nihil amplius agnoscere possis.

At quid de bestijs dico, quarum uita ut ut est, mul-
tò certè, quàm horum hominum, minus est detesta-
bilis, utpote quæ nature ipsi tamen conformis &
cõsentanea est. At isti homines fugere prorsus se-
ipsi, et hominè ex homine exuentes, naturam huma-
nam odisse uidentur, imò uerò cum ea belligerantur,
et expugnata ipsa, aliã, ac nimio plus quàm belui
nam induunt, ut rectè dictum sit: Omnem naturam
quæ à sua specie degeneret, in multò deteriorem
abire, quàm si eam naturam ingenuisset. Et cum
horrendum, tum uerò etiam miserabile est, ex o-
mnibus animantibus unum hominem tam longe
ab ea excellentia, ad quam diuinitus conditus est,
degenerare. Quid enim esse aut cogitari potest,
non iam dicam humanitati, sed ipsi omnino na-
ture magis aduersum, quàm suis membris, uale-
tudini, uitæq; propriæ, ultro & nulla de causa
uim af-

Miserabile ho-
minis excellen-
tiã deformatis

uim afferre? Solent hoc nonnunquam facere, quibus mente capti, atque in furorem, ne seipsum ledant, uinculis cohercentur. At isti heluones, qui adhuc mentis ac rationis copotes, si diis placet, uideri possunt, si modo sunt, et non multo grauiori genere furoris agitantur, hostilem in modum sibi ipsi manus afferunt, in seipsum seuientes, infestissimosque moribus, cruciatibus atque exitium, ultrò ac uolentes uidentesque sibi accersunt. Id ita esse quotidiana experientia nimis multa testantur, et res loquitur ipsa, nonnunquam uerius quam hoc tempore dici poterit, plures crapula, quam gladio occumbere: imò uero plures crapula seipsum crudeliter occidere, quam ullo alio genere mortis aut casuum humanorum perire. Nam quod hec sit communis labes et ruina sanitatis animi pariter ac corporis, quod ad corrumpendum, ad frangendum uigorem omnium membrorum, ad exitium ac mortem nulla magis compendiaria, nec breuior sit uia, non longum neque difficile erit ostendere.

Ruina sanitatis & salutis.

Quem enim unquam uidistis ebriosum hominem, cui non in media iuuenta corpus omni genere morborum confectum, ac debilitatum, sensus omnino labefactati corruptique fuissent? Occupat illos senectutem & occasus uite, dum adhuc sunt iuuentudumque, quam maxime uiribus pariter corporis

atq; animi uigere ac ualere debebant. Neq; id mi-
 rum, nulla enim pars est corporis, neque animi,
 quæ non ista immani perpotandi ac heluandi con-
 suetudine grauissime lædatur. Stomachum pri-
 mùm, et epas, quæq; alia membra nutritioni cæ-
 terorum destinata sunt, necesse est, isto poculorum
 proluuio ita debilitari atq; corrumpi, ut neq; co-
 quendo præparandoq; , nec distribuendo corpori
 hunc quo uiuimus uigemusq; sanguinem, amplius
 usui esse possint. Calor naturalis, qui coctionis ef-
 fector est, quo, ut Cicero testatur, omnia aluntur
 ac crescunt, et sine quo neq; ali quicquam potest,
 nec crescere, ita in istis potu atq; ex eo natis uitio
 sis humoribus obruitur ac demergitur, ut uel nul-
 lum eius amplius sit, uel admodum segne in corpo-
 re ministerium. Hinc quàm multiplicibus graui-
 busq; morbis afflicentur isti nepotiores, uidemus:

Morborum ex
 ebrietate series

neq; enim id rarum est aut obscurum, statim co-
 lor ipse, quem sanguis prout est, gignere solet,
 quæ sit ualetudo indicat, is uerò talis est, ut te-
 corum quempiam intuens, emortuum cadauer, nõ
 uiuum corpus putes intueri. Caput illis tremulũ
 est, incerto motu nutans, uertigine laborat perpe-
 tua, ea prænuncia est apoplexiæ: oculi rubentes,
 et continuis lachrymis stillantes, oculorum angu-
 li tumētes, indicium id est cachexiæ totius corpo-

ris,

ris, qui gradus ad hydropisim proximus est, gen-
labentes, & quales tabidis aut senio confectis ca-
niculis, nasus morphaicus, oris halitus multo
quam cloacae grauior, dentes putridi, scabrigi, in-
randi difficultas, tussis, ructus, & uomendae expo-
endiq; praesertim horis matutinis, foeda neces-
tas, lingua adhuc titubans etiam sobrijs, uox tra-
ca, & obscurus pro sermone stridor, manus tre-
mula, nodosa, morbo articulari foedum in mem-
distorta ac fracta, uenter, quem quis uerius pocu-
lorum latrinam dixerit, propendens, morbose
crura qualia elephantis, tumida, labentia, pleu-
foedis ac grauiter olentibus hulceribus, pedes po-
dagrosi: podagra enim istorum heluonum assiduus
comes est, et pedissequa. Nam belle conuenit, quod
Epigrammaticus Graecus ait, Bacchum cum Venere
aliquando concubuisse, & ex eo concubitu progna-
esse filiam Podagram. Haec duo enim quae per se
sola plurimum nocent, quando in unum conueniunt,
tum uero nihil est magis pestiferum. Fit autem ple-
runq; ut homines temulenti ac ebrij, tunc can-
bo potuq; ad summum distenti sunt, ad res Venere
proruant sese. Hinc subitae mortes atq; intestinae
senectus, ut Satyricus ait. Hinc istum potum, per
porcorum dixerat, gregem circumsistit uelut agmina-
to morborum omne genus, sequiturq; totius corp-

Venter poculo-
rum latrina.

Podagra Bac-
chi et Veneris
filia.

ris & omnium membrorum extrema labes ac de-
 formatio, cerebri tamen præcipuè, ea enim pars
 cum temulentia uelut sedes sit, ex omnibus gra-
 uissimè læditur. Nam cum stomachus, cuius uir-
 tus et calor, ut diximus, assidua poculorum prolu-
 uie extinguitur, incoctos illos crassosq; uapores
 ad caput & cerebrum exhalat, uenæq; ac meatus
 ibidè replètur, atq; præcluduntur, necesse est ma-
 gnâ spirituum perturbationem, sensuumq; ac mo-
 tus totius corporis labefactionem sequi: instru-
 menta enim sensuum sua potentia, ac uigore desti-
 tuuntur, spiritus quo omnia in corpore uegetatur
 ac uiuunt, obstructo per uenas trāsitu nō potest of-
 ficio suo fungi, hinc pleraq; organa sensuū præmo-
 riuntur. Neros uerò & ea mēbra, que ex his cō-
 stant, ac motui delegata sunt, ea, inquā, omnia fon-
 te ipso ac principio neruorū cerebro læso, et ipsa
 sua ui destitui, ac debilitari necesse est. Hinc illa
 capitis crebra nutatio atq; grauedo, qua hoc ge-
 nus hominū perpetuò laborat. Hinc manuum tre-
 mor, hinc omnium articularū dissolutio, quā para-
 lisi dicunt. Vix manus amplius leuādis, et ad os
 atq; ad illam poculorum charybdim admouendis
 calicibus sufficit. Videtis ne quā tremulo & ua-
 cillanti motu combibonibus calicem porrigant,
 & quantum inter porrigendum uini effundant?

¶ ¶ O miseros

O miseros homines, quibus iam etiam manus et
 eam, quam ipsi solam, ac summam uoluptatem
 rentur esse, ministerium amplius denegant.

Medici facetia Memini ego, Medicum quendam ad uirum ego-
 stris ordinis graui morbo decumbentem aliquo
 do uocatum, & ab aegroto atq; amicis de origine
 ac causis morbi, ut fieri solet, interrogatū, respon-
 dere: Fluxionem quandam e manu dextra in ca-
 put defluentem, fontem illi, et causam morborum
 esse. Cū ille mirabundus, quid id fieri posset, quae-
 reret, Medicus cantarum, qui propē in mensa
 stabat potu plenus, protinus correptum ad os ad-
 mouebat, ostendens hanc esse fluxionem tot mor-
 borum causam. Facetē ille quidem nec minus uo-
 re: sentiebat enim ualetudini nullam nocentiorē
 esse pestem, quā istas perpotationes. Sed non ai-
 diunt Medicum isti nepotiores, ne tum quidem
 cū alterum pedem in Charontis cymba habent.
 Multo enim peius animo ualet, quā corpore, in
 quod infra ostendemus. Nam cerebrum, qua
 tionis ac mentis sedes est, ita illis concussum et
 labefactatū est, ut nō modō mente, sed ne sensibus
 quidem integris uti possint. Desituunturq; non
 tantum illis uirtutibus, quibus homines à ceteris
 animantibus separantur, sed ijs etiam, quae cum
 brutis nobis communia sunt sensu ac motu.

Galeni

Galenus *crapulam à uibrando & quatiendo ca-* Galenus *crapulam unde dictam uelit.*
pite dictam affirmat, & ab hac precipua labe rei
foedissime nomen inditum. Id satis in istis heluo-
nibus adparet, quibus uel cerebri nihil est, uel si
quid est, id ita est quassatum atq; affictum, ut suo
amplius officio fungi nequeat. Declarat hoc sen-
sum, quos exteriores uocāt, extrema debilitas in
ebriosis, quorum iam nō est diminuta actio, ut Me-
dici loquuntur, sed corrupta prorsus, imò uerò
per sepe etiam ablata. Non enim hi tantum, si qua
sunt aliquo interuallo seposita uident, aut agno-
scunt minus, sed etiam ea quæ quidem sunt proxi-
ma. Surgit his mensa geminis luminibus, ut ait lu-
uenalis, pro cantaro uno duos uident, pro uno cō- Primæ ad pa-
*uiuā geminos fulutāt: deniq; iam omnia condupli-
cata cernuntur eis, pro calice candelabrum mani- roxysmum ac-
*bisprehendunt bibituri, foras ituri à ianua decer-
antes, in fornacē incursant. Atq; hæc adhuc sunt
initia morbi: nā si, ut plerunq; solent, sic heluari
pergunt, postremò luminibus prorsum et auribus
capiuntur, cæteris q; sensibus destituuntur, trahūtq;
semimortua et euecta crapula misera corpora, & Viua cadauera
sunt reuera quod dicuntur, uiua cadauera, atq;
terre inutilia & execranda onera, donec alium
apoplexia, alium morbus comitalis horribiliter
primū excarnificatum extinguat: Nā hic morbus
 y ij est**

est familiaris hominibus ebriosis, atq; ipsa adeo ebrietas quid aliud est, si propius cōsideres, quam species quedam morbi comitialis? praecludunt enim crudis illis, dēsisq; uaporibus, quos, ut dicitur, stomachus et cætera mēbra nutritioni destinata, nimio potu exhalāt, uenæ, atq; meatus cerebri, per eos spiritui transitus negatur, unde sententiæ et mouēdi potentia cætera mēbra destitui necesse est, id quod ebrijs perinde, ut morbo comitiali laborantibus accidere uidemus, multiq; sæpe ita subito præsecati, tetroq; & horribili genere mortis extincti. Cui tu insensissimo hosti istos cruciatu, atq; hæc tam seua supplicia possis optare?

Vim mentis lædit
crapula.

Sunt hæc quidē, quæ corpus patitur à crapula grauißima, sed grauiora tamen quæ parti præsertim, nempe animo accidunt. Nō enim tantum oculorum, aurium, manuum, pedū, ac cæterorū membrorū sanitas uigorq; ebrietate corrumpitur, sed multo grauius illæ *δυνάμεις* ac uirtutes animi laeduntur, atq; ea pars præcipuè in ebriosis suo naturali motu usuq; destituitur. Nā quæ uis integritatis in ijs esse potest, uel ad percipiendas res ueritasq; ueras, ac proprias rerū imagines, uel ad faciendum de illis sanum rectumq; iudicium? In quibus, ut breuiter dicā, omnis corporis animi sanitas, nō secus quàm in phreneticis labefacta ac diripi-

ac dissoluta est, sensus omnes uelut sede sua moti atq; euersi sunt. Quem uos igitur ulla in re usum talium hominum esse, aut quid publicæ priuatæ uel rei ipsis mandandum putatis? Primum ualetudo debilitata, ad omnia publica & priuata officia obeunda, ad res gerendas, atq; ad omnes contentiones sustinendas eos inutiles reddit. Deinde cum omnis animorum atq; ingenij uigor ista nocentissima heluandi, ac perpotandi consuetudine ita sit eneruatus, ut ne sensus quidem communis amplius sint compotes, quid ab eis consilij in grauius atq; impeditis negocijs petas? aut quid rei serie committas credas uel illis, quibus cerebrum periit, coruino sepultum est? Prodeant ad consultandum membris & mente corrupti, uinolenti, balantes etiamnum pridjanam crapulam, semisomnes, oculis natatibus, uinū ac cereuisiā crudā incoctāq; adhuc redolētes: Sūma, quorū neq; pes, nec mens officij suum facit. Hi deinde de grauisimis, nōnunquam etiā periculosissimis negocijs sententiā rogātur, quibus, Hercules, nō plus mētis est quā boui aut porco. Quid ergo respōdent? Stulticia celare, inquit Heraclitus, difficile est, in uino uerō impossibile. Vocē ergo hi homines nō in conuiuio tantū, atq; inter illa immania pocula, sed alieno etiā sepe loco, & in cōsilio publico emittunt

γ iiij per

Nullus usus in
ulla re ebrius.

Stulticia temerorum,
lentorum.

per iugulum redituram, eructant suam eodorum
 o'ia, non enim tacere possunt, nec uideri uolunt
 minus alijs sapere. Afferunt ergo inter pocula
 conbibones suos meditatam iam ante, ac decanta-
 tam furiosam aliquam sabulam, eam statim pro
 folio Sybille ac Delphico oraculo cum ad plas-
 su audiri, & cum assensu accipi, adorariq; postu-
 lant, perieris, si dissentias. O ter & amplius misero-
 ram ac perditam Rempu. quae à talibus admira-
 stratur consultoribus. O calamitosos & afflictos
 ciues, quibus hi leges dictant. Quid enim tam ab-
 sonum, absurdum, atq; ab omni sensu humano au-

Faces Rerum
 pub.

enum cogitari potest, quod ista furiosa bestia uel
 cum exitio publico non audeant? quas tragedias
 nulla de causa illi non excitant? quibus motibus
 bellis, atq; incendijs hi non miscent omnia atq;
 perturbant? Reuera faces Rerumpub. nam hor-
 ribilium sepe cladum non uno in loco tales homi-
 nes Rebuspub. authores fuerunt. Alias malorum mi-
 net eas ciuitates, quae sunt sub rectore temulentis.

Rectè enim Cato dixit: Vno excepto, neminem
 unquam ad euertendam Rempub. sobrium accep-
 sisse, uix enim ulla Respub. diu stetit, quae ebrijs
 rum consilio gesta est: uix ulla concidit, quae
 non ebrijs euerterint: uix ulla non floruit, quae
 à siccis ac sobrijs hominibus administraretur.

Non igitur potuit Achilles apud Homerum atro
 eius conuitium ignauo, ac uesano Regi dicere, <sup>Conuicium
 Achillis apud
 Homerum.</sup>
 quam ut temulentum eum uocaret, hoc uno pro-
 bro quidquid erat grauissimorum flagitiorum cō-
 plecti usus. Nā in quibus hoc uitiū radices egit,
 de illis nihil est, quod tibi pollicearis, aut speres
 moderati boniūe: sunt homines omnibus partibus
 suis, ac membris fracti, corruptiq; omni genere
 turpitudinis & flagitiorum cōtaminati. Aquā ē
 punice petas, si cōsiliū ab eis ulla in re aut pru-
 dentiam requiras. Quomodo enim animum inten-
 dere possunt ad aliquam seriam cogitationē, qui
 illa perpetua heluatione potuq; penitus sepulti
 sunt ac demersi? Nunquam illi aut rarissimē ex-
 pergiscuntur, sobrij certe nunquam sunt, etiam
 cum non sunt poti, tamen illi furiosi motus uino
 concepti, & excitati, adhuc in eis exstuant.

Plato in epistola quadam ad Dionis propin-
 quos, de sua in Siciliam peregrinatione ita scri-
 bit: Quò cum uenissem, inquit, uita illa beata, quæ
 ferebatur, plena Italicarum, Syracusanarumq;
 mensarum, nullo modo mihi placuit, bis in die sa- <sup>Bis in die satu-
 rum fieri.</sup>
 turum fieri, nec unquam pernoctare solum, cete-
 raq; quæ comitantur huic uitæ, in qua sapiens ne-
 mo efficitur unquā, moderatus uerò multo minus.
 Negat Plato gigni sapientiam in ijs locis, ubi ho-
 mines

y v mines

mines bis in die saturi fiant. Quid si ad nos ueniret, ac uideret homines nō per interualla bis aut sepius in die saturos, sed perpetua quadam crapula uinoq; distentos, nunquam ieiunos siccosq; sobrios nunquam? tum uerò longè ab his locis sapientiam pariter, ac modestiam exulare diceret. Nullus enim modestiæ, aut ulli uirtuti locus esse potest in ista plusquam beluina uentris ingluuiæ, ac uitæ foeditate. Induunt enim homines ex hoc uiuendi more furiosos uastosq; mores, et tota natura effruntur, ea sensuū, ac ingeniorum frigiditate, deinde etiam in sobrijs manet. Sicut enim cum capiam in sole uersanti caput cœpit dolere, ubi iterum in umbram redijt, dolor tamē, quem calor percipit, manet, nec statim remittit: ita ubi homines in illa barbarica heluandi consuetudine deuincti furere cœperunt, durat ille furor etiam cum non sunt poti, & ijdem rabiosi ac turbulenti motus in animis manent, seuiuntq; ac debacchantur sobrijs pariter ac poti, nec facile possis discernere, quocumque tēpore in eos incidas, utrum biberint nec ut.

Seneca.

Vicia uino concepta, sine uino ualere,

Seneca grauitè ac uerè dixit, consuetudine in sanie durata uitia uino concepta, etiam sine uino ualere. Et sanctus Paulus iubet nos uitare ebrietatē, propterea quod in ea insit A sotia, id est, ita immanis ac beluina, dei pariter atq; hominū omniū.

omnisq; honestatis cōtemptrix: Qualem hoc genus hominum lurcones & heluones degere uideamus, qui nihil pensi habent, nisi ut totos dies noctesq; perpotēt, quibus mens ipsa et ratio, omnes quę sensus, scilicet heluādo potandoq; obruti atq; obstupescēti, nunquā redeunt ad sese, nunquam cogitāt aliquid serium, aut dignū homine, sed quod in tali uita fieri necesse est, sic ad omnis generis immanissima scelera prouunt sese, quasi nemini quidquā post se reliqui facere statuerint. Nō iam dicā de turpitudine, quę in ipsorum conuiujs etiam regnat, non de furiosis clamoribus eorum, quibus plateę totas noctes personant: hęc adhuc initia sunt furoris, & quasi primę ad paroxysmum accessiones. Innumera alia & grauiora nobis flagitia ex hac lerna erumpunt, atq; utinam talium hominum furor nonnunquam etiam Ecclesiam non conturbaret, & Reipub. non esset exitio.

Cambysem Cyri filiū tradunt ab hac furia agitatum fuisse, quem cum Prexaspes unus ex Principibus & paternis amicis amāter ac fideliter admoneret, quod Persis illa eius perpotandi consuetudo displiceret, iussit ipse Principes cōuocari, et interrogabat, utrū aliquid in se, quod reprehenderēt, haberent? illi metu mussabāt, nec erat inter eos qui hoc hulcus tāgre auderet, quin pleno ore
 lauda-

Cambysis furor in Prexaspes, & duodecim principes Persarum.

laudabant eum, et patri etiam Cyro praeserebant pleriq;. Quibus laudibus inflatus Rex, Prexasspen solum accersi iubet. Atq; ut uidere possis, inquit, me etiam potum, tamē mentis cōpotem esse, hodie ubi largius bibero, sistes mihi filium tuū in norē natu in foribus coenaculi, in eum cū arcu sagittam emisero, nisi ipsum pueri cor uulnerauero, tum tu me ebriosum atq; insanū iudicato. Hec ita ut dixit facta sunt, nā post horam coenae, cum largius iā inuitasset sese, puerum adduci sistingit; iubet, et arcu accepto, sagittā in eū eiaculatur, colapsūq; ex uulnere, secari et ictum inspicere iubet. Cumq; arundo in ipso corde pueri fixa ostendetur, cachinnans, Vides nunc, inquit patri, etiam ebrium me, tamen egregium esse iaculandi artificem. Prexasspes aduertens hominem reuera uesatum ac furiosum esse, continuit sese, dolorem dissimulās. Postridie uerō eius diei & duodecim principes Persarum, ob rem nihili ac nullius momenti causam, crudelissimo supplicio affecit, in caput uiuos defodiens, ac per eundem temulentie furorē alia multa etiam dictu infanda, et horribilla auditu designauit, donec Deus cum proprio gladio ictum uita expulit. Tales homines, imō uerō tā immanes bestias nobis gignit ebrietas, quorū uita & facta cum post tot annos legimus, horremus.

Si

Sic igitur statuatis, adolentes, crapula nullū
horribilius, nullum tetrius, aut nocentius malum,
ira Deorū natum, aut è furiarum sedibus excita=
tum, in hunc mundū ac lucem, ad multorum homi=
num exitiū immissum esse. Hæc enim atrocioris su=
roris genere, quā ullæ erynnes homines cōcitat:
hæc domos vastas reddit et urbes; hæc rei privatæ
et publicæ cōmunis clades ac ruina est: hæc infan=
dis libidinibus humana atq; diuina iura polluit:
hæc cædibus et sanguine horrendum in modū mi=
scet ac perturbat omnia: Exclamet hic aliquis:

Dij talem terris auertite pestem.

Leges contra
luxum.

Sapientes quidem Principes, legumq; latores,
in omnibus bene constitutis. Rebus pub. singulari
cura ac diligentia ebrietatem prohibuerunt, nec
minus ciuitates contra luxum ac crapulā, quā
contra ullum alium nocentissimum hostem, muni=
endas censuerunt: intelligebant enim in ista bar=
barica et immani uita, nullam disciplinam publi=
cam neq; priuatam posse conseruari.

Tulit Pittacus Mitylæus legē, ut si quis per=
temulentia, sceleris aliquid cōmisisset, duplo gra=
uiore pœna plecteretur, quod causa ipsa, quæ eum
ad peccandum impulisset, grauius etiā peccatum
esset. Alij alijs pœnis atq; ignominijs in ebriosos
animaduenterunt. Et si qua gens natura modera=
tior

tior humaniorq; fuit, ea sua sponte sceleratam ebrietatis exosa, frugalitati ac sobrietati dedit se, nec legibus opus fuit prohibere, quod publica inter homines uerecundia sustulisset.

Barbaries et
crapula con-
iuncta.

Sed regnat hoc uitium inter barbaras ac feras illos gētes precipue, et cernere est, quod ut quę natio maximē barbarica, et ab humano uite cultu aliena est, ita ad heluādum ac perpotādum profusissima est, quasiq; fœdere quodā inter se iuncta sunt barbaries et crapula: Pulchra, me hercle, societas, & dignum habet patella operculum.

Septentrionalis ac Sarmaticæ fera.

Fera etiam quædā in illis Septentrionalibus ac Sarmaticis oris inueniri dicitur, immani uoracitate: Quę cum in aliquā prædam incidit, eo usque cibo immodicē ingesto, distendit uentrē, ut parum absit, quin crepet. Deinde inter angusto spacio distantes arbores trāsirens, uiolenta ibidem cōpressione crudū illum cibum iterum per annū exprimit, itaq; sese exonerat, quod nisi faceret, periculum uitę erat. Est hæc omnino fœdissima uentris ingluuię huius bestię. Sed ea haud dubiē imago quędā est intemperatię ac morum earum gentium, quarum immanibus cōuiujs horribilia, sed tamē a uero nō abhorrentia narrantur: Rarō transiunt symposium sine multis cædibus. Si quis propinatum dolium haurire cesset, illi à proximo quoque

Cædes propinantium,

cōpotore protinus necem imminere: Si quem in-
 terfecerint, non propterea conuiuium dissolui-
 tur, sed prouoluto in medium trunca corporis, et
 impositis aliquot nummis (is apud eos mos est)
 heluari pergunt. Malos etiā gentios inter eos, cum
 agitant cōuiuia, propalam obambulantes cōspici
 dicunt, maiore quā humani corporis imagine,
 quos illi nihil exhorrentes, pro socijs ac conuiuis
 salutare solent, et cœptum conuiuium permultos
 ex ordine dies noctesq; uno tenore continuarr.
 Hęc si quis apud sanos, et sobrios homines, et ista-
 rum barbaricarum heluationū ignaros referat,
 fabulam ad aliorum terrorem confictam narrare
 uideatur: non enim facile credi potest, tantam fe-
 ritatem et immanitatem cadere in humanam natu-
 ram. Sed qui uiderunt, ac talibus conuiuijs sepi-
 us interfuerunt ipsi, hi et hęc uera esse, et his hor-
 ribiliora etiam fieri affirmant.

Maligeni con-
uiuian tium.

Redeo igitur eo, unde digressa est oratio, nempe
 istā scēdam, immanem, atq; homine indignam uen-
 tris proluuie, apud barbaras illas gentes, et quas
 utrum inter homines an beluas numeres, dubita-
 re possis, præcipuē cōspici, homines moderatos,
 et ad aliquam humanam disciplinam adsuefactos,
 semper natura exhorruisse, ac detestatos esse.

Tantò magis igitur et nos, Adolescentes, quē

CUM

cum Musis, hoc est, cum humanitate commercium habemus, eam odisse, & ut nocentissimam pestem fugere, istorumq; heluonum consuetudinem, tanquam pestiferi morbi contagium, deuitare debemus. Et quoties nobis talis quispiam occurrat, hoc elogium illi in fronte scriptum putemus, quod de Tantalo est in Tragœdia:

Nolite hospites ad me ire ilico istic,
Ne contagio mea bonis, umbraue obsit,
Tāta uis sceleris in corpore et animo heret meo.

Reuera enim nullius morbi contagium nocentius est, quàm talium hominum consuetudo.

Proponamus nobis uerbum Dei, quod multum in locis nos ab ebrietate reuocat ad ieiunium, ad sobrietatem inuitat. Nota est sententia: Ne corda uestra grauentur crapula. Et sanctus Paulus populum Israëliticum à erapula ad Idolatriam prolapsum affirmat. Atq; Christus ipse ait: Hoc genus demoniorum nō eiicitur, nisi ieiunio et oratione.

Ex quo perspicuè adparet, istis cōmessationibus ac heluationibus Satanā accersi et interesse, seruumq; ac conuiuā esse istorum lurconum. Testatur hoc etiam euentus talium symposiorum, quæ uero sine cæde alijsq; immanibus & horrendis flagitijs transiguntur. Vbicunq; igitur tale aliquod conuiuium adparari uidetis, Adolescentes, ne per-

Satan minister
et pocillator.

tetis Angelos illic mensæ administratos et custodes
 adesse: Hi tantum sobriorum cœnis intersunt, eo-
 rum curam gerunt, cum isto grege beluonum com-
 mertij nihil habent: sed Satanæ illis ministrat,
 Satanæ pocula miscet, unaq; cū uino ac cereuisia
 sulphur atq; picem phlegethontis propinat, qui-
 bus potis, statim furere incipiunt. Nonne uidetis,
 quam uelut lymphatici bacchantur, & tanquam
 rabiosi canes, inter seipsos, & cum alijs, cruento
 ferro concurrant.

Hoc est quod et Alexander Macedo sibi accide-
 re sensit, & quæstus etiam est, nempe quod cum
 bibisset, in eam rabiem accenderetur, ut inter po-
 cula inimos & charissimos amicos contrucida-
 ret, & Bacchum eum furorem sibi obijcere cre-
 didit, ulciscens Thebæ urbis excidium. Sata-
 næ fuit iste Bacchus, qui assiduus talium conuiuio-
 rum assecla solet esse. Huic gaudio est, homines
 per uiolentiam in furorem actos, sic inter se cædi-
 bus & omni genere immanitatis cõmittere. Hoc
 illi spectaculum iucundissimum est, is ita affectos
 eos & sui impotes, deinde suo arbitrio quò uult
 ducit ac impellit, donec alij de fenestra aut per
 gradus prolapsos ceruicem frangit, alium truci-
 dandum obijcit sodali, aut ad cædem faciendam
 impellit, alij subitanea morte, aut alio quopiam

Alexander Ma-
 ccedo,

Spectacula Sa-
 tanæ.

tristi et inaudito casu animam aufert. Omnes hor-
rendo genere leti absunit, & ad inferos abripit.
Hic exitus, nec alius finis est istarum beluatio-
num. Qui sic periisse uolet, ille sanè eis se adiun-
gat: nam melius de se non est quod speret: nullus
enim eorum honesto aut naturali genere moris
occumbit, nullis naturæ repositi animam re-
dit, sed ante diē suā ipsi manu crudeliter perimus
tur, sanitatem corporis & mentis expugnant po-
culis, & cadunt ante tempus à natura præfina-
tum turpissimo et horribili genere mortis, qui po-
terant multos adhuc annos uiuere, & sibi, suisq;
ac Reipub. prodesse. O execrabilem uitam quam
exigunt: O mortem multò execrabiliorem.

Miseria misera
bilis.

Miretur aliquis quàm illi reuera miseri et in-
rabiles homines, atq; in neminem magis quàm in
seipso crudeles, tādē uoluptatem ex ista dira et
immani beluatione capiant: Nā gustus certè, qui
sensus solus cibo et potu afficitur, illis iā olim pe-
riit, is enim coctione sublata, nullus esse potest.
Fames uerò ac sitis, quæ optimum condimentum
sunt, quàm lōgissimè absunt ab eis: Esuriunt nam-
quā, sitiunt multò minus, ingurgitāt tamē adhuc,
urgentq; ac torquent seipso, regurgitātes, per
ac fauces potū insidentes, donec ad plenum
cloacam poculis expleant. Nulla certè hac dolo-
ratō

Etatio potest esse, sed est, quod quiuis sana mente
preditus intelligit, manifestus ac diabolicus furor.

Diuus Ambrosius ocium dicit esse puluinar Ebrietas delica-
rum cubile Sa-
tanæ.
Satanæ? At ebrietas non modo puluinar, sed mol-
le ac delicatum cubile est Satanæ, nusquam ille cu-
bat ac requiescit libentius. Qui igitur hunc con-
uiuam & conuictorem, cohabitatoresq; atq; eti-
am condormitorem habere cupit, ille tantum
hanc ei sedem præparet, credite mihi, non diu abe-
rit, uita ac factis condignam mercedem etiam red-
diturus.

Defessus iã propè sum dicendo de re foedisima,
& uos haud dubiè multò etiã magis audiendo de-
fessi estis, sinè igitur iã faciã. Ac si apud uos susci-
pere personam monitoris meam hanc etatem nõ
putarè dedecere, uos adhortarer Adolescentes, ut
ebrietatem tanquam omnium flagitiorum malo-
rumq; fomitem ac fontem uitaretis, sobriã uerò ui-
tam, ut uirtutum omnium, honestatis ac sanitatis
magistram, parentemq; amplecteremini. Scio ego Infame nomen
sobrii.
quã infame, & iam propè etiam probrosum sit
apud istos lurcones dici sobrium aut siccum. Sed
uos audite uocem naturæ optimæ parentis, quam
isti degeneres filij adspernatur, ea uos ad sobrieta-
tem uocat, uocat eodem & uerbum Dei, inuitant
omnium bonorum ac sanorum hominum fidelia

z ij atq;

atq; grauisſima monita et præcepta. Si ergo uobis cordi eſt ualetudo ueſtra et ſalus, quã nemo ſane mētis compos unquã proijciendã cenſuit, ſi ſtudia ueſtra, quæ ſanè debēt eſſe chariſſima, ſi uirtus & honeſtas, ſi deniq; pietas, ac ſalus animarũ ueſtrarum, cogitabitis his omnibus nihil eſſe inſiſtus ebrietate. Si uerò aliquem hæc tot tã ſanctiſſima nomina nihil mouēt, is ad eorum gregẽ pertinet, de quibus à me iã dictum eſt: nec mea oratione mitior fiet: Grauius enim hoc morbi genus eſt, quàm ut multis Anticyris exhaustis ſanari poſſit. Chriſtus mētes noſtras pro ſua infinita bonitate gubernet, & ab hac execrabili atq; impia beluandi conſuetudine, ad ſobrietatem, ad pœnitentiã ac pietatem ſelectat atq; traducat. Dixi.

ENCOMIUM SVEVORVM, A
Quodam cauſa exercitationis ſcriptum
& pronunciatum.



Non dubito, quin pleriq; mirarentur, quid mihi in mentem uenerit, cur Sueuos potiſſimum, procul ab illorum finibus natus, laudare inſtituerim: Quibus tamenſi hoc reſpondere poteram, nos in declamationibus non anxie, aut ſuperſtitioſe argumenta